

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatio inauguralis medica de convulsionibus  
parturientium**

**Bartels, Joannes**

**Kiliae Holsatorum, [1799?]**

**VD18 13388371**

Sect. III. Medendi ratio.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-9123**

ejectio e naso atque ore tanta vehementia furere potest ut inde, procreata epilepsia, matris infantisque vita in haud exiguo versetur periculo. Extenso utero abdominalia premuntur vasa, capitis vero pectorisque, eo nimis implentur; haemoptysin autem et narium haemorrhagiam saepius eadem ex causa ortum ducere, nemo est qui dubitet.

### Sect. III.

#### *Medendi ratio.*

Quum medico clinico cujusvis morbi causae explorandae sint, tum imprimis hae convulsionum et epilepsiae parturientium aetiologiae investigentur necesse est, nam sunt diversissimae et saepius occultae, adeo ut plerumque, licet omnem impendeat curam nil certo constituere possit medicus. Ab earum recta cognitione saepissime faustus vel infaustus curationis exitus pendet. Maximi momenti impedimentum, quod hujus morbi sanationi

B

obstat, in eo cernitur, quod epilepsia laborans inter hos motus convulsivos non accipere possit medicamina. Quae cum ita sint, externis tantummodo eos lenire debet medicus. Si praenuntii, exempli gratia, spasmus singularum partium, vertigo, temulentia et cetera, paroxysmum antecedunt, interdum est evitandus, alias vero, tantum in eorum intervallis medicamenta interna sunt porrigenda.

Quae in genere de hujus morbi curatione moneri possint praetereo, et modo, quod medico clinico et obstetricio observandum est, si hoc morbo parturiens, cui succurrere debet, laborat, indicabo. Hujus officii satisfaciendi gratia, quomodo causae de quibus supra diximus, sunt cognoscendae et removendae, demonstrabo.

Irritamenta primarum viarum, e sensu dolorifico abdominis, quod non expansum sed potius est contractum, e nausea, vomitu, sordida lingua, amaro sapore, et vehemente dolore capitis,

praesertim in fronte, aliisque notis signis cognoscuntur. Dolorificus abdominis sensus pressura, non leni tactu, uti hoc accidit, si in statu inflamato intumescit abdomen, animadvertitur. An revera sordes adsint, vel nervorum irritatio haec symptomata parat, in exiguo ponere potest discrimine medicus, nam hac conditione, quo partum perficiat mulier necesse est, raro tempus sufficit, ut evacuantibus sordes abducatur, et removeat. Cataplasmata vero, fomentationes e floribus Chamomillae vulgaris, herba Althaeae, Hyosciami, et semine Lini, abdomine applicata, et clysmata ex his et similibus medicamentis sunt adhibenda. Epileptici motus ex hoc fonte orti facile praetereunt, et hac via curantur. Lenia laxantia, si tempus suppeditetur porrigi possunt, ipsa emetica partibus dosibus, nisi alia contraindicantia his abstinere jubent, haud sunt timenda; si vero adsit contraindicatio, irritamenta mucilaginosi, oleosi, solis vel

Manna admixtis mitigari, acrimonia involvi et edito partu haec primarum viarum irritamenta tolli debent.

Encephali vitia organica, praetereo, nam ex his ortam epilepsiam medicum remove nequire, nemo est qui nesciat, tamen imminuto impetu sanguinis ad caput forte remissionem symptomatum efficere potest. Metastasin materiae morbosae ad cerebrum, tum demum cognoscere potest medicus, si jam diu aegrotae constitutionem observavit. Attamen in hac ambiguitate nil magni momenti a medicaminibus sperandum est, plerumque supremum diem obit aegrota. Venae sectio, hirudines, vesicatoria, frigida fomenta capitis, et thermae totius corporis forsan aliquam praebent utilitatem.

Plethora saepissime parturientium convulsiones movet. Rubor faciei, fulgentes oculi, plenus et citatus pulsus, magnus corporis calor, et deficiens mentis potestas in convulsionum intervallis, hunc statum designant. Hic

nil magis convenit, quam sanguinis emissio, vel hirudinibus, collo et capite applicatis, vel larga et iterata venae sectione, et emollientia clysteria, thermaeque pedum atque medicamina refrigerantia. Saepius, post solam sanguinis detractionem, motus convulsivos ex hac causa ortos evanescere videbis. Simul medicus observare debet, an convulsiones minuantur, orificium uteri extendatur, vel ut paucis me expediem, partus progrediatur. Si vero non fit, et celerius vehementiusque furunt convulsiones, uterus descendentem aortam premens, circulationem sanguinis cohibere, et sanguinem ad caput ducere colligere potest. Hoc statu tantum artificiosus partus, celerrime institutus et peractus parturientem servare potest. Quo facto convulsiones plerumque conquiescunt, si vero non evenit, semper fere mulier ad stygias umbras descendit.

Hujus generis motus epilepticos nuperrime in valida raris mulieri obser-

vavi. Adventu meo mentis non fuit compos et plane convulsionibus perturbata. Infantis caput ad partum intraverat, sed dolorum deficientium causa haud edi potuit. Paulo post conquiescebant convulsionibus et nunc sine dubitatione forcipe partum, quae cum secundinis facile extrahebatur, adjuvavi. Haud exiguum inter partum perdidit sanguinis copiam, tamen pulsus non indicavit plethoram, quae de causa nullam venae sectionem institui. Statim post partum convulsionibus recurrebant, sed per quadrantis horae spatium denuo conquiescebant. Nunc Moschum, Camphora, thermas pedum et evacuantibus clysteres praescripsi. Jam plane aegrotam mentis fuit compos; paucis horis transactis vero tam vehementer reverterunt convulsionibus, ut plures homines aegrotam vix in lecto retinere potuerint. Sic circiter horae spatium transegit, et morte lumina clausit. Usque ad dolorem tempus integra sanitate fruebatur, hos vero motus convulsivi

comitaverunt, quorum causas haud certo detegere potui. Si cerebrum impetu sanguinis male affectum fuisset, convulsiones venae sectione instituta editoque partu conquiescissent. Quod quidem per breve temporis spatium factum est, sed hoc peracto aucta vehementia recurrebant. Forſan congestio sanguinis ita cerebrum preſſit, ut irritante quidem plethora remota, tamen non recte vim ſuam exferere potuerit, qua de cauſa uſque ad mortem inordinate agebat. A corporis infirmitate et ſenſibile nervorum ſyſtemate haud rarius quam a plethora parturientium convulsiones originem trahunt. Mulieri convuſionibus ab infirmitate ortis laboranti, ex Levretis ſententia ſtatim ſupremus dies eſt obeundus. Nullam unquam convaleſcere vidit. Attamen ere erit experiri, quid forte naphtha vitrioli larga doſi exhibita, aut liquor nervinus e camphora et naphtha vitrioli paratus efficiat. Faciei pallor, frigus, tremor membrorum, ſyncope, et pul-

sus parvus, spasticus, atque inaequalis, hunc imbecillitatis statum designant. Hanc conditionem non semper ab universa nervorum debilitate pendere, sed interdum tantum a vi musculari immunita, vel uteri contractione tenui originem trahere respicias.

Si deficiens contractio musculorum abdominis vel uteri retardat partum, et convulsivos motus gignit, hoc e tardis et imbecillis doloribus parturientium, absente abdominis dolore et actionibus vitalibus lente procedentibus intelligi potest. Abdominis frictio manu aqua frigida madefacta, hujus musculorum, et uteri contractionem adeoque partum adjuvat. Intrinsecus quavis quadrante viginti tincturae Cinnamomi guttae, et cochleare vini vetusti interioris notae dentur. Ab aliis commendatae valde olentes res nullam praebent utilitatem, sed potius interdum detrimentum. Si quidem, quod raro accidit, his omnibus peractis nondum satis vehementiae dolores adipiscuntur,

et hoc statu convulsiones sunt timendae, orificium uteri dilatandum partusque forcipe capite praevio, contrario casu versione accelerandus est. Pulsus languidus, perpetuus somnus, torpor, syncope et membrorum tremor debilitatum nervorum systema testantur. Hic parvae, saepe iteratae Opii doses irritant atque vigorem excitant. Magnae vero Moschi Alae foetidae, Camphorae, Salis volatilis haud parum proficiunt. Etiam si omnia prius sunt tentata arte infantem mater pareat necesse est.

Nimis irritabile et mobile systema nervorum a debilitato longe discrepat, et fere contrariam curationem desiderat. Homines hoc instructos multo vehementius quam in naturali statu male afficit quodvis irritamentum. Nunc rubor nunc pallor eorum faciem obducit, respiratio est molesta, cor palpitat, pulsus est citatus, sed parvus et inordinatus, lingua et cutis sunt siccae, vox interdum balbutiens inter motus convulsivos. Animus inquietudine,

pavore, anxietate, tristitia et moerore excrutiatur. Rarissime animi serenitas animadvertitur, si vero fit, omnem modum superat, qua de causa facile evanescit. Foeminae quorum nervi ita sunt comparati, saepissime inter partum convulsionibus laborant. Quo statu sensibilitatem nervorum systematis lenire et omnia quae irritare possunt diligenter evitare medico curae cordique esse debet. Partus adjutor explorationem igitur, tam raro quam fieri potest, suscipere et nunquam usum forcipis, vectis, vel alius instrumenti audere, sed antea insignem nervorum mobilitatem mitigare et infantis enixum a natura expectare debet.

Si vero eandem quam dolores in partum vim convulsivi epilepticique motus exserunt et aquae efluxerunt, foetus maximum saepe unicum est irritamentum, quod simulac fieri potest, artificioso partu tollere debet medicus. Si autem artificiosi citiorisque partus haud opus est, quod quidem hoc statu

raro accidit, medicus internis et externis medicamentis, multum proficere, et facillime atque feliciter partum perficere potest. In hoc casu praecipue sunt adhibenda, thermae totius corporis, a quibus magnam utilitatem spero; per quadrantis vel dimidiae horae spatium in iis manere potest aegrotans, sed ne frigescat, omnis cura est impendenda; porro fomentationes emollientes et pediluvia tum adhibenda sunt, si totius corporis thermae haud parari possint. Denique inunctiones remediorum antispasmodicorum e laudano liquido Sydenhami et unguente Altheae. In diversis casibus venae sectio haud parum proficit; si vera plethora, quam interdum cum irritabili nervorum systemate conjunctam observavi, animadvertitur, omnino est instituenda. Nonnunquam speciosa tantum et spuria invenitur plethora, quae rarissime venae sectionem desiderat, tamen, non nunquam si partialis est, topicis sanguinis evacuationibus minui debet.

E Moscho in singulis casibus magnam utilitatem perceperunt aegrotae, tamen, quia multum temporis opus est antequam nervis naturalem statum reddat, et motibus epilepticis citissime succurrendum est, haud auxilium ab eo spero exoptatissimum. Nervi conquiescant necesse est, quod Opium larga dosi exhibitum optime efficit. Nonnulli in hoc morbo medici id commendant, aliis id nullum optatum effectum praebere, immo perniciosum fieri, est persuasissimum. Si perpendimus id alvum obstruere, sanguinem ad caput ducere, omnesque excretiones prohibere, horum sententia illorum palmam praeripere videtur, sed experientia docet, id sensibilitatem debilitare et hebetare, inordinatosigiturmotusminuere, etita saepius excretiones promovere quam suppressere; quae quidem omnia in his casibus maximi sunt momenti, qua de causa aegrotae secura fide Opii dosi porrigi potest, si antea venae sectione impetus sanguinis ad caput est evitatus. Sed

considerandum est, quod in exiguis dosibus non solum nullam utilitatem praebeat sed etiam irritet; dua vel tria granula igitur pro dosi desiderantur, si con-  
 quiescere debeat motus convulsivus. Insigne et citum levamen opium clystere exhibitum affert. Quo facto partus  
 adiutor naturam partum perficere sperare potest, si vero non sit, tunc multo securius artificiosum partum instituet. Terror atque ira periculosissimae parturientium sunt affectiones, quae saepissime motus convulsivos cient. Placatio excitati systematis nervorum, co-  
 hibitio congestionum sanguinis ad caput, semper medico curae cordique esse debent. Diminutio sanguinis, thermae pedum, frigida fomenta capitis et mag-  
 nae doses Opii remedia sunt hic adhibenda. Si medicus hoc statu accelerare studet partum haud prudenter agit, nam quodvis irritamentum est diligen-  
 ter evitandum. Ipsae convulsiones quae ex retardatione partus proficiuntur, facile jam dictis remediis ad-

hibitis conquiescunt. Quodlibet magnum irritamentum genitalium, convulsionem epilepsiamque movere posse No. VI probavi. Si hoc accidit medicus nihil, nisi emollentia remedia, exempli causa calidas fomentationes genitalium, ut remissionem efficiat, et intrinsecus sopientia, Opiata nempe praescribere potest.

Obstetricans vero omni modo accelerare debet partum. Si nimis magnum infantis caput forcipe haud satis comprimi potest, et pelvis apertura tam arcta invenitur, ut diameter ne longitudine quidem duorum pollicum gaudeat; perforatio cranii infantis nullam utilitatem praebet, et partus adjutor secunda fide sectionem caesaream instituere potest, quo forsitan matrem infantemque e mortis periculis eripit. Si uteri orificium, quod quidem rarissime accidit, valde irritabile immo callosum esset, celeberrimus Dübosc Professor Chirurgiae Tolosensis, medicum incisione id extendere commendat.

Si gravida per longum temporis spatium motum infantis non senserit, si caput sit molle et cutis facile particulatim ab eo sejungatur, si foemina in genitalium regione gravitatem animadvertat, si dolores non satis vehementes sint, et cum iis humor foetidus e genitalibus promanet, si mulier vi externa vel longo morbo sit perturbata, si faciem pallor obducatur, et oculi langueant, si mammae flacescant, et uteri crassitudo imminuatur, infantem e vita excessisse et epilepticos motus movere colligi potest. Attamen haec signa et nullum aliud mortem infantis indubitate testantur, qua de causa quidem obstetricans velocissime forcipe vel versione perficiat partum necesse est, nunquam vero opinione de infantis morte innixus, hunc disseccare craniumque perforare debet, nam ultima spes vitae nunquam eripitur.

Si forcipem adhibet summa diligentia est commendanda, nam facile infantis mortui caput a corpore sejungitur,

et pars in matris corpore manens difficillime extrahitur. Inter partum medicus motus convulsivos ex hoc fonte profluentes debellare nequit, et nihil aliud, nisi lenes dolores tinctura Cinnamomi et parva dosi Opii atque vino fortiores reddere studere, et, cum hoc statu foeminarum vires languescant analeptica praescribere, editoque partu febrim puerperarum et resorbitionem materiae, quae jam forte putrefacto infante oritur, considerare debet. Tam cito vero quam fieri potest artificiosum partum instituat, et mortuum infantem a matre dissociat, necesse est. Si vehemens inter partum vel jam antea animadvertitur haemorrhagia semper convulsione et epilepsia sunt expositae mulieres. Sanguinem per nares et os profluentem nemo est qui non videat, haemorrhagiam uteri vero non omnitempore animadvertit, quia vel placenta lateri uteri inserta, vel orificio clauso effluvium sanguinis retinetur. Talis occulta haemorrhagia, dolore

dolore citissime orto et pondere abdominis, quod quo longius sanguinis profluvium durat eo magis intumescit cognoscitur. Contrahendi vis uteri aliud corpus non patitur, sed id propellere studet, quo dolores parturientium oriuntur. Interdum de haemorrhagia certiolem reddit sanguis coagulatus ex utero excretus. Si talis vel uteri, vel narium, vel oris haemorrhagia eo tempore accidit, quo legibus naturae partus edendus est, indubitate obstetricans eum citissime perficere debet. Quo contractio matricis, quae tantum uteri haemorrhagiam tollit, et ejus pressuram in vasa abdominis removet, efficitur. Regimen antiphlogisticum, venae sectiones, acida mineralia diluta, ubi plethora animadvertitur sunt commendanda. Opium in parturientium haemorrhagia suadet, Murfinna; quod vel solum vel acido minerali mixtum exoptatissimo eventu porrigi, experientia docet.

---

